

## FRANCISCVLI PRANDIUM (4)

HIPP. — Francisculus vera fatetur. Equis ignorat hominum mores, provecta potissimum aetate, mutari sine detrimento non posse? Atqui ego huc usque perveni, ut si alicubi mihi esset assidendum, vel in aliqua ipsa sella quae mea non esset, cibos excoquere nequitem. (*Oculis signa dat Francisculo*).

VINC. — Inter sacrum sto et saxum. Hoc autem est quod peracescit, istum cum pullo suo Indico tantam mihi salviam movisse...

FRANC. — Do tibi fidem, si ego scivissem te adesse, nunquam vocem meam a te auditum iri!

HIPP. — Sic facito: redi vespere ad coenam. Supererit quidquam exossandum...

FRANC. — Immo vero coenam ita ego suavitate condiam, ipsos faciam ut dgitos tibi praerodas tuos.

VINC. — Convenit.

FRANC. — (Anhelitum recipio!)

VINC. — Ad quam vesperi horam?

HIPP. — Quando vis, veni, et parata coena erit.

VINC. — Prius tua opinione hic adero.

HIPP. — Ambula ergo nunc, et bonum animum habe, o rerum dulcissime.

VINC. — Ambulo, et redambulabo ad esum, quasi ad praesepim meam. Ne pulli Indici, quaeso, pennae et ossa una supersint!.. Ah! ah! Vale. (*Exit*).

FRANC. — Salvus tandem sum!

HIPP. — Timui profecto ne locum tuum ad mensam sine mora ille occuparet!

FRANC. — Me autem metus omnino exinaniverat.

HIPP. — Eia itaque, rem ages; dumque omnia cocta fuerint, tuque iubeas ire accubitum, ego vestitu et munditia aliquantum mihi indulgebo. (*In conclave suum recedit. Francisculus itque redditque cum manteli, mappis, mensalibus, trybliis, vasibus, omnibusque quae necesse sunt ad mensam instruendam. Interea musici concentus exaudiuntur*).

HIPP. — (*Ex conclavi*). Ohe, Franciscule!..

FRANC. — Ellum!

HIPP. — Cui occentatur ad ostium?

FRANC. — Nescio equidem.

HIPP. — Visum eas.

FRANC. — Relinquam ne pullum in igne versatum?

HIPP. — Neque mihi fas egredi quirado barbam.

(*Voces inter musicen clamant: Dii plus plusque Hippolytum sospitent!*)

FRANC. — Audin, domine mi? Conclamat hodie tuum esse diem nominalem.

HIPP. — Hodie? Minime gentium.

FRANC. — Quin etiam tute dicunt: hodierna namque dies vigesima secunda mensis Augusti beato Hippolyto sacrata est. (*Hippolytus ingreditur*) Sinas igitur ut bona omnia fausta ac felicia et ipse tibi adprecer usque ad saeculum et ultra.

HIPP. — Atqui pignore certem, o puer iam veterator, a te occentum hunc comparatum fuisse.

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

## ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Roman*, *Via del Governo Vecchio*, 96. ☺ ☺

DE PULCHRITUDINE  
TUM NATURAE, TUM ARTIS

Pervulgata iam viget pulchritudinis quaedam in duas classes distributio, naturalis scilicet et artefactae; neque ea incongruens, siquidem haec tamquam suprema genera haberi possunt, ad quae omnis exorta pulchritudo reducatur. Naturae autem nomine agentia necessaria intelliguntur, quae sint ad unum tantum determinata, ut ignis ad comburendum; non quidem agentia libera, quae sese ad opposita determinare possunt. Itaque pulchritudo naturalis hic voluntariae ac liberae obiicitur, fitque sine advertenti mente ac voluntatis imperio, sed solum sponte naturae. Aliis verbis, prima eius distinctionis classis pulchra certe respicit, quae in theatro naturae producuntur legibus necessariis, non subditis imperio particularis agentis, sed unius tantum Agentis universalis, hoc est Omnipotentis Artificis: universalis enim natura cum Deo comparatur ut instrumentum cum agente principali. Altera autem classis pulchra complectitur, quae perficiuntur ab agente libero, nempe ab humana voluntate, praevia consideratione mentis (1).

(1) Nomine equidem *artis* agentis liberi dexteritas proprie significatur.

Si vero et naturae et artis pulchra invicem obiiciuntur, non tamen *opposita*, iuxta verbi vim, intelligenda sunt, at potius *iuxta se posita*, seu unum alteri subiectum, ita ut absoluta comparatio institui nequeat. Quaesitum nihilominus est utrum ars naturae praestet; utrum videlicet pulchritudo artefacta naturae valeat pulchritudini excellere. Hanc adamussim quaestionem brevi hodie adgradimur.

\* \* \*

Atqui pro certo affirmare non dubitamus, re simpliciter et sua vi considerata, artem longe a natura superari. Ars enim a natura dependet, ab illa nempe veluti divinae sapientiae administra; unde fit ut naturalis pulchritudo sensibilis expressio evadat speciei eximiae, *ideae exemplaris* (ut vulgo dicimus), in mente ipsius Dei existentis: quapropter ut artifex eiusque opera perfectionem assequantur, naturam, seu rationem divinam debent imitari. Hinc recte natura *Filia Dei* dicitur; ars autem *Dei Nepos*, et *Naturae Imitatrix*.

Praeterea natura, ab infimo rerum gradu usque ad corporeum vivens perfectissimum, in materiam inducit formam substantialem; ars, e contra, solummodo formam accidentalem. Insuper, si principium quoque spectemus unde natura

et ars procedant, illam facile videbimus non solum a ratione universalis, sapienti, efficaci magis quam artem progreedi, sed etiam modo magis certo minusque erroribus obnoxio ex se operari (1). Ad hoc, naturam aspicimus ad bonum substantiale ac totius universi intendere, ad quod tanquam ad finem movetur (2). Denique homo ipse est opus naturae, quae in eo summum visibilis pulchritudinis fastigium obtinuit.

Hisce rationibus ars, quantumvis excellens, naturam vincere nequit. Et sane, cui artefacto multiformis florum, avium .... species comparari poterit? Et pulcherrimus aurorae ortus, vel solis occasus? Et iris « mille trahens adverso sole colores »? Et flammigeri caeli spectaculum, aut vulcani furentis?

\* \*

Verumtamen aliqua ex parte artem naturae praestare dici etiam potest. Subjective enim loquendo, res nostras pluri facimus, quam aliorum: inde accedit ut nos magis magisque rebus artefactis delectemur, quam naturae operibus. Generatim igitur a praevia hac animi nostri dispositione artis praestantia repetenda est. Neque mirum: natura namque uniformiter et constanter operans minus apta appetet ad exciendam spectatoris delectationem; siquidem, ut fert adagium, « ab assuetis non fit passio ».

Practerea, in aliquo rerum pulchrum genere tam propius artifex naturam aliquando imitatur, tantoque studio naturae perfectiones simulando retrahit, ut vel allucinationes et quasi praestigia in

(1) Naturae tamen opus obstaculis externis aliquando perturbari potest.

(2) Ars equidem in minus bonum et particolare porrigitur, ut ex: gr: est delectatio,

spectatore exerceat, per quae imagines re ipsa speciosae magis, ob manifestam artificis peritiam, videantur. Zeuxis apud veteres exemplum habes, qui vitis racemos tam naturali artificio ementiri valuit, ut aviculae uvam appetentes ad racemos convolarent, ac frusta rostro arriperent. — Quamquam in omni re veritas imitationem vincit.

Sed praesertim in eo summa artis praestantia eluet, quod, quum « individua naturalia » multoties a causis externis ita partim deturpentur ut nedum assequantur, ne revelent quidem interdum typum exquisitum et perfectum seu divinum; artifex ex circumstantibus rebus singulis diversas pulchritudinis rationes variosque gradus colligendo, huiusmodi dotes in « uno aliquo » coniunctas exhibit. Sic res facta et pulcherrima evadit, nec unquam, aut fere nunquam, in rerum natura invenitur.

Hic procul dubio virtus magna ac praepotens artis efficientia est; quae divinum ipsum exemplar attingens et exprimens, spectantis animum in orbem sublimiorem, supersensibilem, lucis et amoris plenum, ultra spatium et tempus attollit, usque ad thronum infinitae sapientiae, quae a principio in Deo erat cuncta componens.

Neapoli.

G. LEPORE O. S. A.

## De Vindicatione

Quum undique saeviant hodieum facinora omnisque generis ferociae, undique autem minitentur multi multas vindicationes, non inepte de virtute vindicationis verbum moyebitur,

Quia homines plerumque in vindiciis excedunt, eo quod nemo facile existimet levia esse damna sibi illata, hinc vindicatio passim male audit, nec nisi vitium nuncupatur.

Si quis tamen penitus investigaverit, vindicationem probe intellectam non nisi virtutem, eamdemque specialem esse, iudicabit.

Vindicatio, inquam, quandoque malum inflictum pro malo accepto sonat, praeter damni resarcitionem congruum. Quae sic intellecta prorsus damnanda est, siquidem ratio ipsa, non secus ac Evangelium, prohibet ne quis malum pro malo reddat: ab utraque nempe lege iubemur ut similes amemus, prohibemurque ne malum ut malum inferamus, vel in eo delectemur. Ita Angelicus: « Vindicatio fit per aliquod poenale malum inflictum peccanti. Est ergo in vindicatione considerandus vindicantis animus. Si enim eius intentio feratur principaliter in malum illius de quo vindictam sumit, et ibi quiescat, est omnino illicitum: quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod charitati repugnat, qua omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excusatur si malum intendat illius qui sibi iniuste intulit malum, sicut non excusatur aliquis per hoc quod odit se odientem: non enim debet homo in alium peccare propter hoc quod ille peccavit prius in ipsum » (1).

Secus autem vindicatio intelligi potest, quod quis proximi in bonum primo et principaliter intendat, ad quod forsitan non nisi per aliquam peccantis poenam deveniatur; tunc, servatis debitiss circumstantiis, vindicatio, sane licita esse potest: « Si vero, — ut prosequitur An-

(1) 22<sup>ae</sup> q. 108, a. 1.

gelicus, — intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per poenam peccantis, potest esse vindicatio licita, aliis debitiss circumstantiis servatis » (2).

Quaenam autem praecipua sint bona ad quae attendere possit vindicans, enucleat sanctus Doctor, et quinque enumerat:

1<sup>o</sup> Emendationem peccantis, quae etsi raro expectanda sit, attamen dari quandoque potest;

2<sup>o</sup> Cohibitionem peccantis, qui, etsi forsitan non emendatur in se, potest attenuatamen impediri quominus scelera sceleribus addat;

3<sup>o</sup> Quietem aliorum, ubi facinorosus amplius non potest tranquillitatem ordinis, quae pax dicitur, perturbare;

4<sup>o</sup> Iustitiae conservationem, quae e medio tollitur per impunitam saevitiam;

5<sup>o</sup> Dei honorem, qui in sua lege, in suis iuribus effrenate offenditur.

Haec omnia rerum capita ubique et semper, imprimis vero hac aetate, in hac terra nostra pensanda sunt.

Qui vero haec bona prosequitur non ex odio agit, neque malum intendit: immo et bonum, etsi non nihil mali sceleratis inde sequatur.

Si quis tamen obiciat nos esse sub lege Evangelica, seu sub lege amoris, quae proinde timorem per poenas non incepit, respondet Angelicus utique, « quod lex Evangelii est lex amoris, et ideo illis qui ex amore bonum operantur, qui soli proprie ad Evangelium pertinent, non est timor incepit per poenas: sed solum illis qui ex amore non moventur ad bonum, qui etsi nu-

(2) Ibidem.

mero sint de Ecclesia, non tamen merito » (1).

Ex hisce omnibus patet honestum quid et licitum omnino esse vindicationem, debitam munitam circumstantiis.

Nec inde tamen, — dices —, patet exemplo eamdem esse virtutem specialem, quum videatur alterius virtutis, v. gr. diligentiae, actum esse, quin dicatur specialis virtus.

At vero secus sentendum esse, seu vindicationem esse virtutem specialem, patet eo quod specialis in natura datur inclinatio ad vindicationem: quae est remotio nocimenti ad se defendendum: et ad quamlibet inclinationem naturalem determinatam ordinatur aliqua virtus specialis, quum virtutes perficiant nos ad prosequendum debito modo inclinationes naturales ad ius naturale. Ita quippe Doctor Angelicus et Communis: Sicut Philosophus dicit in II *Ethic.*, aptitudo ad virtutem inest nobis a natura, licet complementum virtutis sit per assuetudinem, vel per aliquam aliam causam. Unde patet quod virtutes perficiunt nos ad prosequendum debito modo inclinationes naturales, quae pertinent ad ius naturale: et ideo ad quamlibet inclinationem naturalem determinatam ordinatur aliqua virtus specialis. Est autem quaedam specialis inclinatio naturae ad removendum noctumenta; unde et animalibus datur vis irascibilis separativam a vi concupiscibili. Repellit autem homo nocimenta per hoc, quod se defendit contra iniurias ne ei inferantur, vel illatas iam iniurias ulciscitur non intentione nocendi, sed intentione removendi nocimenta: hoc autem pertinet ad vindicationem. Dicit enim Tullius in sua *Rhetorica* (lib. II): Vindicatio est

per quam vis, aut iniuria, et omnino quidquid obscurum (ignominiosum) est, defendendo aut ulciscendo propulsatur. Unde vindicatio est specialis virtus (2) ad quam fortitudo dispositio quaedam est, prout impedimenta removens; cuius vero zelus, quatenus importat amorem fervidum, prima radix dicendus est.

Ubi autem quaesiveris utrum quandoque obliget huiusmodi virtus, affirmando sane tibi respondendum est. Vindicationi siquidem opponi potest vitium per excessum, nempe « peccatum crudelitatis vel saevitiae, quae excedit mensuram in puniendo »: haec autem non amplius virtus est, atque proinde vitanda erit. Sed contra eamdem virtutem peccari potest per defectum, ubi « aliquis est nimis remissus in puniendo. Unde dicitur (*Prov.*, XIII): Qui parcit virgae odit filium suum. Virtus autem vindicationis consistit in hoc ut homo secundum omnes circumstantias debitam mensuram in vindicando conservet » (3).

At vero quaeret quispiam utrum haec statuantur solum de vindicatione contra individuos homines exercenda; aut etiam contra multitudinem. Haec statuantur immo et de vindicatione contra multitudinem exercenda: « Quando tota multitudo peccat, est de ea vindicta sumenda, vel quantum ad totam multitudinem, sicut Aegyptii submersi sunt in Mari Rubro persequentes filios Israel, ut habetur in *Exod.* XIV, et sicut Sodomitae universaliter perierunt; vel quantum ad magnam multitudinis partem, sicut patet ex *Exod.* XXXII, in poena eorum qui

(1) Ibidem, 3<sup>m</sup>.

(2) Ibidem, a. 2.  
(3) Ibidem, 3<sup>m</sup>.

vitulum adoraverunt. Quandoque vero, si speratur multorum correctio, debet severitas vindictae exerceri in aliquos paucos principiores, quibus punitis ceteri terreatur, sicut Dominus (*Num.*, XXV) mandavit suspendi populi principes pro peccato multitudinis. Si autem non tota multitudo peccavit, sed pro parte, tunc si possunt mali secerni a bonis, debet in eos vindicta exerceri; si tamen hoc fieri possit sine scandalo aliorum: alioquin parcendum est multitudini, et detrahendum severitati. Et eadem ratio est de principe, quem sequitur multitudo. Tolerandum enim est peccatum eius, si sine scandalo multitudinis puniri non posset: nisi forte esset tale peccatum principis quod magis noceret multitudini, vel spiritualiter, vel temporaliter, quam scandalum quod exinde oriaretur » (1).

Ubi demum quaesieris quibus poenis exercenda sit vindicatio, statuendum est eamdem exercendam esse per poenas apud homines consuetas.

Quum enim homo a malefactis non cohibeatur amore boni, tunc cohibendus est per privationem eorum, quae plus amat quam eorum quae peccando amittit; secus enim timor peccatum nullatenus compesceret. Unde, — colligit sanctus Thomas, — « per subtractionem omnium quae homo maxime diligit est vindicta de peccatis sumenda » (2).

« Haec autem homo maxime diligit, scilicet vitam, incolumentem corporis, libertatem sui, et bona exteriora, puta divitias, patriam et gloriam. Et ideo, ut Augustinus refert in XXI *De civit. Dei*, octo genera poenarum in legibus esse

(1) Ibidem, a. 1. 5<sup>m</sup>.  
(2) Ibidem, a. 3.

scribit Tullius, scilicet mortem per quam tollitur vita; verbera et talionem, ut scilicet oculum pro oculo perdat, per quae amittit quis corporis incolumentem; servitum et vincula, per quae perdit libertatem; exilium, per quod perdit patriam; damnum, per quod perdit divitias; ignominiam, per quod perdit gloriam » (3).

Haec retinenda sunt in hisce nostris rerum adiunctis maxime dolendis, quando non nisi vi praepotenti iura concedenda volunt, ne scelerum patroni ac fautores et nos ipsi evadere velimus.

Alia apud Angelicum legenda ibidem et alibi prostant, quae utinam non tamen solum, candide lector, sed multi alii legere atque meditari cordi haberent!

I. I. BERTHIER.

## LEO HARMEL

Etsi omnium nunc oculis ad bella respiciunt, quibus tamdiu populi Europae tamque ferociter dilacerantur, iuvat tamen, animi causa, mentem alio convertere, in illos potissimum viros, qui e vivis sublati vitam in aliorum communis agere in deliciis habuerunt. Inter hos praeclarissimos ponere haud dubitaverim Leonem Harmel, qui non modo in Gallis, sed etiam apud exteris gentes egregiam famam sibi comparavit, atque artificum princeps, longe lateque, multis labentibus annis, reverentiae amorisque gratia *pater* eorum *bonus* appellabatur. Ipse enim, quum opifices omnis Galliae, ubi magna eorum instituta an-

(3) Ibidem.

tiquitus florescunt, saepe saepius, omnia quaestui habentes, commodioris vitae solamine adlecti ac libertina audacia praediti, aliorum divitiis, uti ex hostibus praedae, palam inhiantes, rem publicam vexabant, totis nervis illuc spectavit, ut opificum societas ad meliorem frugem, in commodiorem fortunam redigeretur.

Diu equidem in Gallia scriptores, oratores et philosophi, alii alia ratione, gravissimis argumentis magnam opificum causam actitabant; contendentes, ut quum opifices ad dominorum beneficium manu adlaborarent, et laboris profectui, iure meritoque adquisito aliquando fruerentur. Et haec omnia ob oculos, ne dicam in pectore, referens, Leo Harmel, christianis moribus vel a teneris annis in genitricis sinu educatus, primus rem arduam maiore studio tentavit; ut scilicet quod sapientes in umbratili vita graviter sunt meditati, ipse in Christi caritate actu perficeret.

Itaque, vel pro re nata, imo veluti divino numine afflatus, quam sapientissimi viri doctis voluminibus pertractarunt quaestionem salebrosam quam aiunt opificum, eam ingeniose ille mirabilem in modum explicavit, atque Daedalus alter « dolos recti ambagesque resolvit ». Haud longissimis disputationibus suam causam edidit, sed re et consilio adiuvit, auctoritate commendavit, opere absolvit.

Sub eius enim disciplina, veluti mutatis rerum adspectibus, omnia opifices obtinuerunt. Namque operarios suos, veluti agmine facto, is ad fructuum beneficium commode vocabat; et dummodo honesti essent bonaque fruge atque in officio diligentes, uti filios colebat quo rectius adlaborarent, assidua cura erudiebat, et exemplo admirabili ad pietatem mirifice fovebat. Ita quisque ingenio,

arte, studioque officium suum exercebat, atque ex meritis retribuebatur. Quo nomine, omnia bona, veluti ex plenissimo aquarum flumine, in opifices fluere videbantur, et operarii statim, ut signo dato, maioris mercedis fiducia adlecti, alacriori studio industriis incumbere, magistri vestigiis insistere, et in dies ad locum operum numerosiores accurrere.

Aedes aedibus seruntur: officinae, quae paulo ante in regione, cui est nomen *Val des Bois*, paucae erant ac modestae, frequentiores adsunt, ampliores fiunt, novae saepe aedificantur. Et magister qui « multorum providus urbes et mores hominum inspexit » omnia quoque diligenter providet, omnia sustinet, hominesque consilio regit et docet; moros et morosos sapienter adgit, impigros temperat; omnes initio veluti iudicio, ad concordiam perducit. Ipse pater identidem in varias opificum sedes peramanter se confert, singulasque per diem gratiosus invisit. Quod quidem omnes ut praemium autumant, eiusque approbationem exoptantes labori acrius incumbunt. Quis illo beatior? Quis ipso melius de patria meritus? Vates quidam potuit dicere; quod modeste cecinisset:

*Arguor immerito, tenuis mihi campus aratur!  
Illud erat magnae fertilitatis opus...*

Quidquid enim in terris dulcius unquam homini contingere potest, in hac vivendi ratione securus ille obtinuit. Ac propterea rex erat inter opifices atque imperator; et dum ipsis cuncta fausta curat, Dei gratia, laetissimus vivit. Sed vir prudentissimus, omnia sua bona a Superis omnino repetens, in ipsa religione, quam mordicus sancteque colebat, primum rei suae fundamentum posuerat, eique soli referebat.

Quod olim suopte ingenio in repu-

blica sua divinatus est Plato, ubi optimus quisque, allegatis undique malis, felicissimam vitam ageret, in vera novaque ista opificum republica, omnis homo, quoad eius in terris fieri potest, multis commodis circumdatus atque affluens, in uno labore omnia possidens, aetatem suam tranquillissime exigebat.

Ad haec, noster ipsi sibi demandaverat puerorum educationem atque institutionem, ipsi religionis cultum; ipsi denique sanus idemque infirmus in omnibus rebus ferebatur. Atque adeo aedem condidit et scholas, atque animi causa theatrum quoque exstruxit. Nec modo doctrinam christianam, historiam sacram, gallicam dictionem, arithmeticam, diagramham docebat, sed libros omneque instrumentum in discentem publice erogabat. Ac diebus festis, ut honeste amicos relaxaret, amplas aedes cum hortis eo consilio aptavit, ut ad diversandum adolescentulis indulgeretur.

Quo vero tempore Leo XIII Pontifex Maximus immortalibus illis litteris ad universum orbem datis, in opificum solamen atque ad temporum rationem exactis, sapientia atque auctoritate quidquid noster cogitasset confirmavit, ipse, in grati animi signum, ad excitandam quoque fovendamque in suis erga Pontificem religionem, sacras peregrinationes ad Urbem invexit, quas omnis terrarum orbis est admiratus, earumque numerum ordinemque ad caelum laudibus tulit; aliae immo nationes eius vestigis insistentes, in exemplum bonorum morum, disciplinae atque reverentiae, et quod caput est, prosperitatis, imitatae sunt.

Ipse arrepta occasione, saepe saepius Augustam etiam Taurinorum, civitatem hanc meam, petiit, eo potissimum nomine, ut hic novum puerorum opificum

parentem, Ioannem Bosco, venerabundus coleret manusque eius oscularetur, atque ut sui sanctissimum hominem novissent eiusque verba religiose acciperent.

Et Itali opifices hominem admirabantur, qui ex humili loco ad gloriam elatus, in suorum utilitatem annos insumeret, ac Deo devotus, quum eorum corpora in operibus exerceret, animum ad caelestia erigeret, ubi sapientissime vigilat atque amanter moderatur summus omnium Operator, aeternamque omnibus beatitatem disponit.

Quum firmo corpore, vegeta mente ad ultimam senectutem pervenisset, nonagenario maior, Leo Harmel vitae finem, sanctissimis religionibus rite perfunctus, Niceae ad mare, placide adspexit.

Dignitatem corporis mentisque ingenium virtute cumulavit. Invictum a cupiditatibus animum exhibuit, nulliusque infortunium a se alienum reputans, ad caelestia spectans, mortalia vel inter gloriam contempsit. Quae quum ita sint, postquam iure desideratissimum caput luximus, meritoque pro viribus laudavimus, insigne hominis exemplum omnibus gentibus proponere haud dubitamus, illud Vergilii mente volitantes:

*Hac casti maneant in religione nepotes.*

I. B. FRANCESIA.

## ARCHAEOLOGICAE RES

### Puerorum poetarum memoria Romae instaurata (1).

Argumentum in quo tot sunt ingenio pericitati (2) hoc erat: « Quaenam dixe-

(1) Cfr. num. sup.

(2) Quinquanta et duo hi fuerunt, ut patet ex monumenti inscriptione in superiore fasci-

rit Jupiter Solem obiurgans, quod Phaëtonti equos commisisset.

Poëtae, ut mos erat apud Romanos loqui latine vel graece in certamine proposito, placuit graecum sermonem adhibere. Nos vero carmen hic referentes, ad meliorem eius intelligentiam tale dabimus, quale latinis verbis ad literam vertit sapiens antiquitatis magister Carolus Ludovicus Visconti, qui primus doctis adnotationibus, quum inventum est, monumentum illustravit.

Versus tres supra quadraginta sunt, iisque distributi prout sequitur:

Mundi nostri luciferum aurigam  
neminem, praeter te, Dii reges fecerunt.  
Quare stultum imposuisti fornicibus Olympi  
filium, et equorum ineffabilem celeritatem concr-  
[didisti,  
nostram nedum opem subveritus?  
Non haec tua fida Deis consilia. Quo Phaëthonis  
firmus currus deferebatur? Quamobrem ignis tui  
flamma thronum usque mecum pervasit, mundum-  
[indefessi  
que late patentem?  
Circulis quoque immiscebatur vis praepotens mi-  
[narum;  
oceanus ipse manus in caelum extulit;  
quoniam fluvius fontem plane non exsiccavit?  
Quin et semina intus in terram comburebantur;  
[et aliquis inaccessam  
aridam deploravit iuxta salces colonus,  
semina iactans in ingrata, ac nequidquam curvo  
[aratro  
taurum iuinxit, et sub astrum vesperae  
inclinavit fortia membra cum laboriosis bobus.  
Terra denique omnis ingemiscet ob malae mentis  
[adolescentem;  
tumque ipse ignem igne restinxi; tu ne posthac pueri  
triste fatum queritor, sed curam gere mundi.  
Ne quando manus meae ardentiorem euspidem cieas,  
nosce Iovis caelestis mentem; namque per ipsam  
Rheam, tale quiddam isto deterius, nunquam vidit  
[Olympus.

cupo relata; ubi vero typorum errore pro numero L (h. e. quinquaginta) scriptum est SE (lin. 16<sup>a</sup>).

Res mea mundus, tibi operis incliti tutela obtigit;  
cedant quidem anteacta, quod autem reliquum est  
[mente recondito.  
Non ille ex te genitus erat; nesciebat enim equo-  
rum immensas vires,  
nec par erat tractandis prudenter habenis.  
Veni nunc denuo, mundum perlustra; nere tuum  
[deicus  
alienis manibus committas, perperam laborans.  
Ubi tibi orbem igneum approporanti,  
Oriens, totusque pulcherum curriculum fuit Occidens.  
Gloriam hanc intaminatam cum fide gerere mens  
[tibi dedit;  
parce terrae totique pulcherrimo mundo,  
iter habe per medios Olympi fornices.  
Haec divis decentia, haec utilia. Quaesivit fatum  
mitem rursus ignem, quem valde perdidit puer  
[tuus:  
et magnum immensum caelum ipse percurrebito,  
dimidium cursus infra, dimidium supra terram  
[dirigenz;  
sic enim tua lux ad caelicolas conueniet,  
ac mortalium semper inoffensem relinguatur votum;  
benignam autem habebis Iovis mentem. Si vero  
[alia quaepiam  
cura supersit ob te nil metuentem, ipsa testentur  
astra, quemadmodum, me incendente rim fulminis  
equis celeriore, pueri corpus acies vulneravit.

Verum hic puer, qui acerrimo ingenio  
ad maiora natus esse videbatur, nimio forte in litteris labore, inopina morte,  
ut diximus, praereptus est. Sic spem omnium  
et amicorum et parentum ac patriae gaudia uno die interruptum. Id enim  
puer ipse dulciter monet lectorem alloquens epigrammate in monumento pariter impresso, et graece exarato (1):

Unus post hominum memoriam puer duodecim annos  
[natus  
Maximus, ex certamine ad inferos migravi.  
Morbus atque labor me confecerunt; nam nec di-  
[luculo,  
neque noctu a Musis mentem abduxo.  
Sed, siste, quaeso, demortui pueri gratia,

(1) Huius quoque epigrammati itemque et quod infra sequitur Visconteam versionem praebemus,

ut noscas facundiam carminis improvisi.  
Plaude, et die illico hoc tantum  
cum lacrimis: « Eas aedes in Elysias;  
rivacia enim carmina reliquisti, quae Pluto  
nunquam arripiet invida manu ».

Prope et alia verba prostant, quae vi-  
detur hospes legens referre, questus  
quod tam rapide huiusmodi puer sit e  
vivis correptus:

Parrum quidem hoc sepulerum; fama vero caelum  
[attingit,  
Maxime, Musis ab te relictis.  
Neque te ignotum suslulit Parca immisit,  
sed reliquit eloquentiam oblivionis expertem.  
Nemo sicvis tuum tumulum praeteriens  
luminibus, cernet versus extemporales.  
Sufficit hoc tibi ad diutinam gloriam; namque hand  
[ignobilis  
iaeabis, cilibus mortuis similis.  
Fulde autem et auro, fulgidoque electro  
praestabit semper pagina, quam reliquisti.

Adest, in statua marmorea, poëta, et  
quamvis quindecimum annum nondum  
attigerit, tunica praetexta est indutus.  
Parentibus enim placuit, sculptori ipsi  
placuit eum sic ponere, quod aetatem  
suam ingenio supergressus, talia faci-  
nora immortalia gesserit, ob quae virili  
toga dignissime decoraretur.

\* \*

Quid vetat, quoniam de certamine  
litterario a Domitiano inito sermo est,  
et hoc addere, quod certe rerum anti-  
quarum cultoribus non minus placebit?  
Imperante Traiano, anno post Christum  
sexto supra centesimum, Lucius Valerius  
Pudens, aetate annorum tresdecim, su-  
perior est salutatus in eodem certamine  
ob elegantissimum carmen latino ser-  
mone conscriptum. Iuvat et de eo in-  
scriptionem referre, ad Aeserniam re-  
pertam;

L. VALERIO L. F.  
PUDENTI. HIC. CUM. ESSET. ANNO  
RUM. XIII. ROMAE.  
CERTAMINE. SACRO.  
IOVIS. CAPITOLINI.  
LUSTRO. SEXTO. CLA-  
RITATE. INGENII.  
CORONATUS. EST.  
INTER. POETAS. LA-  
TINOS. OMNIBUS.  
SENTENTIIS. JUDICUM.  
HUIC. PLEBS. UNIVER-  
SA. MUNICIPUM. HIS  
TONIENSIMUM. STATUAM.  
AERE. COLLATO. DECREVIT.  
CURAT. REIP. AESERNIORUM. DATO. AB.  
IMP. OPTIMO. ANTONINO. AUG. PIO.

Valerius Pudens, qui anno tertio decimo aetatis suae laudem cum praemio de poësi cunctis suffragiis est consecutus, diversam divinitus sortem obtinuit atque Sulpicius. Ipse enim ingenii celeritatem laudabiliter cum animi virtutibus cumulavit, atque honoribus auctus ad supremos imperii gradus evectus est. In omnium exemplum enituit et optime de civibus meritus diutissime vixit omnibusque carus atque acceptus. Namque pro imperatore publicis munibibus in patria insigniter perfunctus, a suis adhuc vivens statuam promeruit.

Utinam haec duorum puerorum exempla, qui suorum laudibus potenter adlecti, vel a teneris unguiculis, ingenii virtute inclarerunt, et post tot saecula, divino veluti munere excitati, ad suos gloria refulgentes redeunt, pueros temporis nostri, in tot litterarum splendore positos, vel religione excitare valeant eosque ad aliquam virtutis significacionem feliciter adducere.

Faxit Deus ut haec brevis historia  
sit venturi prima favilla boni! (1)


SENIOR.

(1) Praeter Q. Sulpicium et V. Pudentem, de quibus SENIOR noster scripsit, memoratur quoque inter pueros poëtas Attius Delfidius;

## Ingenuarum artium specimina

GIOTTI MURALIS PICTURA, PRAESENTATIONEM REFERENS IESU CHRISTI IN TEMPLO.

In Asisiensi illo pulchrarum artium museo, quod a templo S. Francisci sacro constituitur, tabulam videre est, quam



hodie [ sic ] hic referimus, magni thesauri quem ibi Giottus de magisterio suo circa renatam picturam reliquit, gem-

qui, aetate etiam puerili magis, eodem honore auctus fuisse indubie videtur, recentiore aetate, quum de eo cecinerit Ausonius (*Profess. Burdig.*, n. 5):

*Tu paene ab ipsis orsus incunabulis  
Dei poeta nobilis  
Sertum coronae praeferens Olympiae  
Puer celebrasti Iovem.*

(A. R.)

mam splendidissimam. Revocat ea qui-dem Iudeorum legem, a qua Iesus sub-trahi noluit, praecipientem ut mares omnes, qui primi ex quapiam matre ori-rentur, non inter homines tantum, sed et inter bruta domestica atque servi-ti destinata, Deo consecrarentur, cui in templo praesentabantur, ac redimebantur soluto sacerdoti pretio.

« Puer igitur — inquit — ad me iure « primogeniti pertinet ». Dein ad patrem conversus: « Si vis — ait — hunc tibi « habere, redimi oportet ». — « Ego — statim respondet pater — tibi aurum « et argentum ideo detuli ». — « Vis igi- « tur — subit Sacerdos — illum redime- « re ? » Quum pater annuerit, ad adstan-tes conversus, ait: « Puer iste tanquam « natu primus mihi cedit iuxta legem ; « cuius redemptio erit post mensem siclis « argenti quinque, etc. Verum ego — sub-dit — his contentus sum »; simulque duos aureos nummos, vel circiter, a pa-dre oblatos pro libito capiens, puerum parentibus restituit.

A Luca autem scimus quum Iesus in templo est praesentatus factaque simul est Matris purificatio, sacerdotem illic fuisse, cui nomen Simeon, hominem istum et timoratum, exspectantem consolati-onem Israel; quippe responsum accepisset a Spiritu Sancto « non visurum « se mortem, nisi prius videret Chri-« stum Domini ». Hunc accepisse puerum in ulnas suas et canticum illum ceci-nisse, qui inter psalmos relatus, Simeonis ipsius nomen retinet; et ad Mariam con-versum prophetica illa verba edidisse: « Ecce positus est hic in ruinam et in « resurrectionem multorum in Israel, et « in signum cui contradicetur: et tuam « ipsius animam pertransibit gladius, ut « revelentur ex multis cordibus cogita-tiones ».

Haec pictorem pientissimum in mente procul dubio insculpta habuisse quisque dicet, qui Giotti tabulam attente con-sideraverit, ac praesertim senis sacer-dotis figuram; quinimo tantum evangelica verba fuisse sequutum, ut ab aliis

artificibus pluribus differens, qui et ante-a et deinceps scenam effinxerunt, An-nam quoque prophetissam, iuxta ipsum Lucam coeremoniae adstantem, ponere etiam non neglexerit.

X.

## VETERA ET NOVA

### De tormentis bellicis.

Qui librum evolvat, cuius argumen-tum de bellica re sit, tormenta, quibus hodie utimur, in quatuor genera prae-cipua, uti innuimus (2), dispertita inveniet: *cannone, obice, mortaio, mitraglia-trice* (3). De primo et ultimo harum machinarum genere satis superque alias disputavimus, ut latine ea *catapultae* et *ballistae* vocabulis designaremus: hodie tantum eorum notitiam subtiliorem ex-sequemur; deinde ad reliqua pergemus.

*Catapultae* igitur nomine generatim indicari malumus tormentum aeneum quodvis missile, in quo linea ab igni-feris projectis descripta, quam maxime directuram sequatur, ita ut ea vertica-lem scopum iacent. Summa in catapulta hac, quae tormentis hodie insit, longitu-do; instruiturque peculiaribus machinis sive ad offensionem sive ad defensionem, peculiariisque curribus et suggestibus; muniturque *ergatis*, propriis vocabulis distinctis, ut *capra* et *falcone*, quae et ipsae machinae sunt ad *fistulam* super-

(2) Cfr. an. II, fasc. XI, p. 210.

(3) Gallice: *canon*, *obusier*, *mortier*, *mitraill-euse*; Anglice: *cannon*, *howitz*, *mortar*, *grape-shot*; Teutonice: *kanone*, *haubitze*, *mörser*, *mi-traillense*.

imponendam aut deponendam; illa tricuris vel quadricuris; haec trabe constans sartis fere ad perpendiculum suffulta, etc.

\* *Catapultae* denique vel *munitoriae* sunt vel *castrenses*, seu *campariae* (1) iuxta loca quibus praecipue inserviunt, nempe propugnaculis an castris; fixae illae, postquam armatae sunt, caesisque cryptis *domunculisque* occultis tectae; hae mobiles, quippe quae ad peditum agminum progressionem tuendam addictae.

*Ballistae* a catapultis differunt tum longe minori pondere, tum maxime quod tali arte constructae sint, ut quam brevi tempore proiecta plurima iaculari valent.

\* Restant *mortaria* et *obices*; inter quae hoc est discriminem, ut ignita horum iacula, linea curva in aëre descripta, obstacula superent, verticalemque scopum verberent sufficienti vi horizontali; illorum vero proiecta, linea magis curva composita, in horizontalem scopum incident maxima vi verticali.

*Mortarium* et *obex*, quae latina vocabula sunt, non dubito quin adhiberi tuto ac libere possint. Neve quis opponat «*mortarium*» apud Latinos vas esse «in quo res quae resolvendae sunt, pistillo, vecte aut manibus teruntur, subigunturque», esequo «per syncopen a *mortarium*, quod sit vas in quo herbae moreto conficiendo aptae contunduntur» (2). Praeterquam quod mortarii huiusmodi forma varia erat (modo namque lata et fundo plano, modo angusto et cavo); itemque varia materia (marmor, lignum, testa, aes), iam apud Latinos, a

similitudine eius, aliae res eo vocabulo nuncupatae sunt. Sic *mortarium* dicta est cava area, seu lacus in quo calx, arena et sim. maceratur et subigitur, dictaque pariter terra circa arborem excavatam ad excipiendum humorem. Ceterum nonne innumerae sunt latinae voces identidem adhibitae ad res diversissimas significandas? Ne a tormentis bellicis abeamus, sit *onagri* exemplum. *Onager* sive *onagrus* valet «asinum sylvaticum et ferum», ut est apud Vergilium, Martialem, Plinium, Varronem, Columellam. Et fuit simul hoc nomine appellata machina bellica, magnis saxis torquendis apta, quae declaratur ab Ammiano (XXIII, 4) et Vegetio (*Milit.*, XXII, 4). Iuvat hanc descriptionem afferre, eoque magis quod in aliud verbum, promiscuum, ut ita dicam, occurrimus, nempe *scorpionis*. *Onagrum* a Scorpione Vegetius distinguit, Ammianus unus idemque facit: «*Scorpio* — inquit — appellatur, quoniam aculeum desuper habet erectum: cui etiam *onagri* vocabulum indidit aetas novella, ea re quod asini feri, quum venatibus agitantur, ita eminus lapides post terga calcitrando emittunt, ut perforent pectora sequentium, aut perfractis ossibus capita ipsa displodant».

Et «*scorpionis*» nomine quot res significantur! Praeter notissimum insectum terrestre, *scorpi* apud Latinos est caeleste signum, piscis marinus, herba, frutex, congeries lapidum ad morem metae, in acutum desinentis coacervata et loco termini in agris collocata; denique machina bellica, quam ab Ammiano explicatam — meminerunt vero iam Caesar (3) et Livius (4) et Sallustius (5)

(1) *Campania, ae*, = quae campos custodit; ut *Campanius* definitur, in *Lexico Barbaro*, qui campos custodit (FORCELLINI, T. l. l.).

(2) FORCELLINI, T. l. l.

(3) *Bell. Gall.*, VII, 25.

(4) *Hist.*, XXVI, 47 et 59.

(5) *Fragm.* apud NON., XVIII, 7.

— et ipsam placet hic exhibere: «Dolantur — sic ille — axes duo quernei, vel ilicei, curvanturque mediocriter, ut prominere videantur in gibbas: hique in modum serratoriae machinae connectuntur, ex utroque latere patentius perforati; quos inter per cavernas funes colligantur robusti, compagem ne dissiliat continent. Ab hac medietate restium tigneus stilus exsurgens obliquus, et in modum iugulis temonis erectus, ita nervorum novulis implicatur, ut altius tolli possit et inclinari: summataque eius unci ferrei copulantur, ex quibus pendet stuppea vel ferrea funda: cui ligno fulmentum prosternitur ingens, cilicium paleis confertum minutis, validis nexibus illigatum» (1). Haec satis sunto ad rem nostram. Non enim mea tantum interest de mole ac ratione huiusmodi manuballistam agendi, quantum de forma et efficientia, congruente satis cum quibusdam bellicis instrumentis, quae ipse ab Austriacorum manibus praerepta his diebus vidi, ac sunt ad manualia piloclastra allicienda. Haec quomodo appellantur nostra et eorum lingua nescio; malo latine *scorpiones* nuncupare.

\* *Manuballistam* dixi, hoc est «ballista gesta manu» (2); numne, machinae et vim et agendi rationem considerando, hoc vocabulo proprius significaverimus, quod «focile» fere apud omnes nunc sonat, dictumque est passim a latinis saec. XVI et seqq. scriptoribus *ignarius scelopus*, *ferrea fistula*, *bombarda ductilis*? Quod

(1) AMMIANUS, ibidem.

(2) *Manuballistam*, utpote «ballistam minorem, quae manu tractaret», iam invenimus apud VEGETIUM (*Milit.*, II, 15); qui *Manuballistarum* dixit «qui manuballistas tractat». (*Ibid.*, III, 14).

autem mortiferum instrumentum vulgo *revolver* omnes nominamus, *manuballistulam* apte dicere nonne licebit?

Sed iam ad carceres, hoc est ad *obiem*, redeamus; de quo plus minusve quae de mortario scripsimus repetenda essent. *Obex* (pro *obiex*, ex *iacio ob*) genericum verbum est apud Latinos ad indicandum quidquid opponitur ad impedendum. Eo igitur maiore iure ad lethale bellicum tormentum designandum, cuius projecta ex alto in tholos, in aedes delabentes ea diripiunt, vereque obiiciuntur hostium defensioni, sine dubitatione nobis idem verbum usurpare fas erit.

Haec habui quae de tormentis bellicis scriberem; restat nunc ut de glandibus deque *pyrogranis* sermonem aliquem faciamus; quem vero ad alium numerum differimus.

I. F.

## COMMUNIA VITAE

Qui alias pro nostro commentario accepta vidi nonnulla quae artem *de immodice comedendo* — (ita placuit moderatori nostro ea lepide inscribere) — exhiberent, quaeque ipse ex maioribus nostris, qui latine scripserunt, depropsearam, eamdem fortunam habitura speravi excerpta quae sequuntur, suntque vere ad *Communia vitae* spectantia, quippe quae deambulanti cuique per oppida et compita facile obversantur.

Cuinam enim non occurrit *puporum ludicrum spectaculum*, puerorum deliciae? Sic eum apud Vincentium Guinismium (*alloc.* I) memoratum inveni: «Vidisti ne aliquando ligneum simulacrum, quo circum foranei praestigiatores,

ad merces extrudendas e pegmate proponunt in vulgus? Illi cervix affixa mo-

## LUDICRA

### Causidicus et asinus.

*Voce agit ingrata causam defensor in aula,  
Dum subiecto asinus rudit in impluvio.  
Garrulus hoc magis inclamat, populusque tumultu  
Coniurans lepido sibilat intrepidus.  
— Eia asinum, qui infra est, custos, compelle silere,  
Ut qui hic — praeses ait — clamitat, audiam ego.*

### Organicus et Miles urbanus.

*Usque rotante manu, Organicus modulamina fundit,  
Seu stet, seu varias ambulet ille vias.  
— Siste manum — excubitor, cui credita cura quietis  
Nocte dieque, inquit — musice, siste pedes.  
Est ne tibi, quae so, sonitandi facta facultas? —  
Ne peiora ferat, denegat Organicus.  
— Ergo — miles ait — nunc me comitator. — Et alter:  
— Incipe, gratuitus, dum canis, ipse sono.*

### Pueri reprobati excusatio.

*— Nonne — pater querit — studiorum fausta pericula? —  
Quum natum reducem conspicit esse hilare.  
— Quae placuere, placent equidem repetita. Theatrum,  
Si recreat plebem, nonne melos renovat? —  
Haec puer; et pater: — Ergo quater reprobatis in aula?  
An tibi spes melior, perdite, restat adhuc?  
— Quod iussere scio: octobri adveniente loqueris  
Bis nobis. Ergo vox mea grata viris.*

### Iuvenis deformis et larva.

*— Quos fratres habeo (sunt bacchanalia) invit  
Praeterita choreas ducere nocte domi.  
Quam bene nos inter festum geniale! Cuique  
Quas sumpsit partes fingere larva dedit.  
Gibbus retro huic, ante illi, caput ultimo aselli,  
Nec soror angueinis defuit atra comis. —  
Haec narrat iuvenis, lepide deformis imago,  
Simus, fronte carens, corpore pumilio.  
— Tudem — inquiero — cur non larvatus? — Et ille:  
— Quam petii, deerat simioli facies.  
— Au male! Crede mihi: vacuus larva, optime et ipse  
Egisses partes, quas tibi quaeasieras.*

Neapol.

F. T. MOLTEDO.

bilis, et quibusdam quasi vertebris ad circumspetum idonea. Brachia quoque lentula et flexibilia levibus inserta no-

dulis, ut circum agi facile possint: sub pedibus trochuli rotulaeque trusatiles occultae, ad molem quo iusseris promovendam. Mox callidus intra proscenium machinator arcans qui busdam planeque intestinis fidiculis humanum illud automaton moderatur ad gestum, ad nutum, ad renatum, immo ad vocem sermonemque; veritate usque adeo repraesentata, ut aliquando non desint, qui nisi videre ac loqui homines ligneos stipitesque iurent, stipites ipsi sese et caudices arbitrentur».

Interdum vero «foranei praestigiatores» quo facilis tunicatum popellum circum se attrahant, homines ipsos adhibent. Personati isti ludiones ita sese gerunt: «Ecce prodent e gurgustiis congerones infimae sortis, mendozissima membrorum structura compacti.... Humoris gibberos, ulcerosi capite, coecultantes oculis, ventriosi, suspiriosi, liene turgidi, colore buxei, ferrei, porracei, luridi, cineracei; omnes distorti, semiamicti centunculis et palliastris. Tanto in numero nullus ad numerum quidquam agere, sed in conditum ad strepitum bacchantium more alii inflare buccas, alii torquere genas, dentes exerere, odorem tetri sulphuris inhalare, fronte et oculis tumultuariis taber-

nariam exercere. Mox ecce tibi matrona severior, flagella varia subministrantibus servis, prodit in scenam doricum saltans, hoc est sacro furore percita: cum rythmo nebulones illos palantes agit: tum ne impune bacchanal fecerint, verberones illos numerosa verberatione donatos, partim sua, partim suorum comitum opera dimittit. Claudis igitur crura dirigunt norma lignaria; coecutientes cogunt collyrio querceo stellas cernere in meridie; ventriosis applicata virgidemia more Turcico medentur; elephantiacis radunt saniem novacula abiegnā, sordidorum scapulas bubalino strigli mundant; gibberosis quadrant humeros roborea regula, ligneoque malleo tentant concavum an campana inde aliqua resonet; reliquorum distorta membra rediguntur in ordinem loreo perpendiculo». (1)

Inter haec, quum ex grege hominum undique confluentim stipatio sufficiens iam facta sit, Circulator cum socio suo suggestum aliquem ascendit, «pretiosa quaeque promere, nova et exoticae conditionis unguenta manibus abluendis odorandisque praedicare, extollere in caelum laudibus dentium munditias:

*Nitelas oris ex Arabicis frugibus  
Tenuem, candidum, nobilem pulvisculum  
Complanatorem tumidae gingivulae,  
Converritorem pridianae reliquiae,  
Ne qua visatur tetra labes sordium  
Restrictis forte si labellis riseris.*

Praeterea oscilla, insertis clam digitis, in pugnam committere; pelves sublimes iacere; serpentes innocenter admovere pectori; cultros infesto mucrone devorare; aliaque praestigiarum genera in vulgus edere....» (2)

(1) EX LEONE SANCTIO, *Flor.*, I. III, decl. I.

(2) Ex FAMIANO STRADA, lib. II, prol. 1.

Sed buccinae sonus ex improviso auditur. Unde? Quid?.... In proximo numero videbimus.

A. FULCONIS.

## ANNALES

### Europaen bellum.

Quae dubia in superiore fasciculo nobis proponebamus de vicibus futuris Europaei belli, praesertim in Orientalibus eius plagis, immutata hodie etiam nunc manent, quamquam necopinati supervenerunt eventus. Loweceni nimurum Alpes, quae inviolabiles praedabantur, sine ulla fere decertatione occupatas primum ab Austriacis vidimus; deinde Cettigne urbem die XIV mens. Ianuarii identidem ab iisdem captam; tribus autem diebus post, Nigri Montis regnum in ditionem venisse audivimus. Dum huiusmodi rerum causa omnes obstupescunt, nuntii subsequuntur illam ditionem insimulantes et afferentes, contra, in Taraboschi regione acerrime concertari; interim vero regia primum domus, pauloque post Nicolaus ipse rex per Italianam Lugdunum petunt, a Gallis hospitio accepti; denique ditionis pactiones palam fiunt, hostesque, Antvari, Dulcigno, Docleaque urbibus occupatis, simulque Podgoritzia, quo gubernii sedes translata fuerat, in Albaniam superiorem transeunt atque Alexio et S. Ioanne de Medua potiti, Dyrrachium tendere videntur.

Thessalonicae igitur hue usque parsun est, ubi Anglogallici sese magis in dies muniunt iustum praelium exspectantes, expulsis interim vi hostilium civitatum legatis, quos Tolonam traduxerunt, suis-

flare buccas, alii torquere genas, dentes exerere, odorem tetri sulphuris inhalare, fronte et oculis tumultuariis taber-

que omnibus ab Hellesponti oppugnatione retractis. Ut autem et a locis circum securitatem sibi procurarent, Galli Castellorizzo quoque et Coreyram insulas, areemque Thessalonici sinus Karaburum insederunt.

Si autem, in Oriente permanentes, ulterius spectemus, Russos animadvertisimus revera offensionem suam a Galitia ad Armeniam Turcicam resumpsisse; neque eam absque successu. Stir enim flumen transgressi, hinc hostes ad dexteram Danastris fluminis oram, inde iuxta Strypam depellunt; in Volinia occupant, amittunt recuperantque Czartorysk urbem et oppida circum; in Bucovina Austriacos ad Czernowitz urbem deserendam cogunt; in Bessarabia denique, ad Caucasi Persiaeque frontem, Turcas adorunt, fugant, insectantur ad Erzerum usque civitatem, cuius propugnacula obsidione iam cingunt.

Quid autem Occidentem versus? Teutones in Cathelauniis campis damna recens sibi illata reparare satagunt: res non satis ubique succedit, neque sine multa sanguinis effusione. Ut Gallos fortasse territarent, ne a feris illis rationibus abstinuerunt, quas heu! iam pluries cum humanis totius orbis gentibus conquesti et nos sumus: scilicet noctu, bis, incendiariis bolidibus ex aéronavibus demissis, Lutetiae Parisiorum aedes inermesque cives petierunt.

Itali operam praesertim dedere propulsandis Austriacorum conatibus, qui occasionem naeti ex hoc hiemali tempore in Alpibus rigidissimo et infenso certe militibus eidem non assuetis, amissa loca recuperare omnibus nervis studuerunt. Quod si ex improviso impetu circa Oslaviam aliquantis per cedendum Italiam fuit, resumptis tamen brevi viribus, indomita virtute incursionibus vicissim

factis, hostium agmina frangere et in stationes singulas quas sibi paraverant, sese restituere valuerunt.

De maritimis denique eventibus hic peculiari nota digni, et loricatam Anglicam navem, cui ab Eduardo VII nomen, ab ignifero globo in aquis tecto deletam, et cursoriam Austriacorum navim a Gallis ad Dyrrachium submersam.

\* \*

**Ex Mexicana civitate** obitum nunciant Huerta illius, qui fuit rei publicae praeses. Non inde profecto aliquid consequetur apud infelicem illum populum; siquidem eius asseclae iam nullam potestatem obtinebant; sed ne credendum quidem est quietem ex Carranza ducis gubernio esse redditam. Quin imo quum in tumultu quodam nonnulli Civitatum Foederatarum Septentrionalis Americae cives necati recens fuerint, vox iterum resonat tandem aliquando esse tempus ut eae cum copiis suis ad res componendas interveniant.

\* \*

Neque longe melior **in Sinis** rerum status. Contra novum enim Caesarem Yuan — Shi — Kai incolae inferioris imperii, hoc est regionis Yunnan, rebelles sese professi sunt. Exercitus igitur in eos missi, quibus non facile incepturn erit seditionem domare.

Kalendis Februariis MCMXV.

POPLOCOLA.

\*\*\*\*\*

## VACUI TEMPORIS HORA

### Epistolarum commercium.

Cedo locum Maiori!.. Quis tamen Maior apud nos quam Commentarii no-

PERLEGE, MEDITERIS, FAVEAS,  
SECUS MITTENTI REDDE.

Quibus *in facto* positis, quae prorsus infieri potes, iudicet, pro aequitate, ipsa conscientia tua de mea tuaque agendi ratione. Confido inde fore ut non solum opinio- nis tuae errorem facile agnoscas, sed etiam, maxime si perpperdis operis mei finem nobilissimum circa religionem, cultum atque humanitatem, eidem et in posterum magno cum animo sis accessurus. Vale.

Dicam igitur nunc ego libere quod sentio; idque brevi nota: *Sunt lacrimae rerum!* Quum vero *res*, in casu, a *viris* constituantur; quumque incongruum sit lacrimas effundere pro *viris* incognitis, ecquid, moderatorum duleissime, *doctoris illius* nomen non proferas, et cum eo illorum *eiudem generis*, *si qui sint per orbem?* Publicae admirationi aedepol! proponemus; imo comploratui, quem pro certo teneo... haud plures desideratu- ros.

\* \*

Anonymous ille meus Badaicensis imitatorem invenit. Imitatorem dixi, non quidem competitorem. Qui enim consilium a me hodie expetivit non in dampibus aut vinis institit, sed, antiquitatum amator et cultor, a me quaesivit **de ratione** aliqua eaque simplici, si haberem, **qua pictae telae sordibus munden- tur**. Morem, favente fortuna, tibi gerere possum, amice.

stri Moderator? Ipse quidem primas in consueta hac rubrica mea sibi vindicavit, ut in ea litterae nonnullae insererentur a se his diebus datae. Ne vero iuribus meis privaret, voluit ut ipsis commentaria mea adderem; quae libenter... At iuvat prae omnibus epistolae textum referre:

*Ad virum clarissimum... X, Universitatis... Y, noniuris, puto, doctorem, aliosque eiudem generis, si qui sint, per orbem.*

Litteris tuis, non equidem liberali comitate praestantibus, abstinere non possum quin paucis respondeam.

Misi ad te, quum primum editus est, commentarium meum qui *Alma Roma* inscribitur, suadentibus collegis tuis Romanae huius Universitatis G..., pro certo habentibus non te unum, sed, apud istam litterarum et bonarum artium sedem, plures alios per te eius proposita et societatem amplexuros. Erant primo illi fasciculo adnexae litterae, quibus rogabar ut, nisi id contingeret, fasciculum ipsum per tabellarium, a quo acceperis, redderes; quod sine ullo tuo impendio fieri poterat, siquidem vel pueri sciunt, quae a publico cursu delata repudientur, ea mittenti gratuito restitui. Atqui tu fasciculum retinuisti, ac retinuisti identidem fasciculos omnes, quos deinde per annum integrum cum dimidio sine intermissione ad te ablegavi, donec.... consociationis pretium obsequentissime a te quaesivi. Animadverte hinc, meam hanc petitionem in folio, quod fasciculo inclusi, typis exscriptam esse; quem igitur fasciculum negare potes, nisi legisses, evolvisse saltem neque *de more cistellulae statim tradidisse*; secus enim quomodo in litteras illas incidisses?... Ceterum non te profecto effugerunt verba illa magnis characteribus haud semel, sed iterum iterumque, praesertim per annum 1914, extra fasciculos, in eorum tegumento et supra inscriptione, per sigillum ianthini coloris impressa:

tamen ut rapide opereris, videbisque tabulam tamquam novam tibi restitui.

\* \*

**Iocosa.**

Bellico incendio ad suam civitatem appropinquate et frumenti cum summa caritate inopia, Tuccius asino suo, quem veluti se alterum amat, persuadere conatur ut, parsimoniae intendens, cibi mensuram sponte sibi imminuat. Frustra tamen; ne igitur oleum et operam perdat, ipse actu rem perficit; deque die in diem modium attenuat, interdum etiam pabulum nullum ferae apponit. Moriente denique iam asello prae fame:

— Magnam heu! feci iacturam — inquit in lacrimis Tuccius. — Quando enim didicit non multum comedere, tunc extinguitur!

Apud bibliopolam.

— Quanti venit hic liber?  
— Libellis quinquaginta.  
— Hui!

— Ne te fugiat illum impressum fuisse decem annis ante quam typi inveniuntur!

\* \*

**Aenigmata.****I.**

Pronomen *primum*. Quidnam sunt *altera*? Quaere Sedulus, o lector; nam inter numeralia statim Invenies adverbia. *Totum* nobilis amnis.

**II.**

Musicae nota est *primum*;  
Avide rodit *alterum*.  
*Totum*, benigne lector,  
Iocis te suis recreat.

(Aenigmata in fasciculo XI an. II proposita his respondent: 1] *Caligo, Caliga*; 2] *Thermoclinum*).

**"Almae Romae," Anthologia**

« SEMPER DUM VIVAM TUI MEMINERO »  
VARII DICENDI MODUS.

(Ex elegantiss A. MANUTHI IUN.). (1)

51. — Quousque manebit huius animae corpusculique copula, tu a mea memoria nullo tempore seiungeris.

52. — Prius animus corpori, quam tu animo praesens esse desines.

53. — Spiritus ipse citius ex huius corpuseculi domicilio demigrabit, quam animo impressa meo imago tui deleatur.

54. — Aeque diurna fuerit apud me tui memoria, ac vitae cursus.

55. — Eadem erit, et vivendi, et de te cogitandi meta.

56. — Non arctioribus pomeriis tui recordatio claudetur, quam ipsa vita.

57. — Quoad ulla vena mihi vitali tempore saliet, dulce fuerit tui meminisse.

58. — Quantum mea Lachesis fatale stamen extenderit, tantundem extendetur et mea tui memoria.

59. — Eadem mihi, et vivendi, et de te cogitandi mensura fuerit.

60. — Quoad corporis molem status vivificus sustinebit, animum maxime tui memorem geram.

61. — Dum lucis usum caelitum indulgentia concedet, te semper animo feram.

62. — Dum vitam permittent Superi, non committemus ut tam illustris Viri ac Hominis unquam nobis obrepat oblivio.

(Sequetur).

Delegit HERMINIUS M. IACOBELLI.

(1) Cfr. an. II, fase. IX.

**ROMA SACRA****Acta Benedicti XV P. M.**

*Nova condita S. Congregatio « de Seminariis et de Studiorum Universitatibus ».*

Pius sa. me. PP. x in Constitutione *Sapienti Consilio* de Romana Curia ordinanda, cum alia statuit, tum omnia quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinenter, ea S. Congregationi attribuit, cui Summus ipse Pontifex praeest, et cuius est vigilare in ea, quae ad singularum dioecesitum regimen universim referuntur; hoc est S. Congregationi Consistoriali. Verum, quum apud hanc S. Congregationem negotiorum moles praeter modum excereverit, et Seminariorum cura maiorem in dies operam postulet, visum est S. P. Benedicto xv ad omnem eorum disciplinam moderandam, novum aliquod consilium inire. Alias quidem, quum Romanae Curiae nova pararet ordinatio, de peculiari S. Congregatione instituenda cogitatum est, quae Seminarii praeesset; quod consilium cum temporum adiuncta prohibuerint quominus efficeretur, hodiernus Pontifex revocandum censuit, non ita tamen ut tractatio rerum quae de Seminariis sunt, detracta ac omnino seiuncta a S. Congregatione Consistoriali habenda sit, quum unam et alteram Congregationem aliquo nexu voluerit inter se coniungi. Itaque *Motu proprio* d. iv mens. Novembbris MCMXV apostolica auctoritate decrevit ac statuit quea sequuntur:

I. De Seminariis propria iam esto S. Congregatio, ad formam ceterarum Romanae Curiae, ad eamque omnia pertineant quae usque adhuc de Seminariorum rebus apud Congregationem Consistoriale agabantur, ita ut eius posthac sit clericorum tum mentem, tum animos fingere.

II. Huius S. Congregationis muneribus munera accedant Congregationis Studiorum; itaque haec eadem Congregatio « De Semi-

nariis et de studiorum Universitatibus » appelletur.

III. Praefectus huius Congregationis unus est e S. R. E. Cardinalibus: cui Secretarius cum idoneo administrator numero operam navet.

IV. Qui S. Congregationi Praefectus dabitur, is ex officio inter S. Congregationis Consistorialis Cardinales numerabitur: qui Secretarius, inter Consultores. Vicissim autem Cardinalis S. Congregationis Consistorialis Secretarius inter Cardinales novae Congregationis ex officio cooptetur, et Advisor inter Consultores.

V. Qui in praesens inter S. Congregationis Studiorum Cardinales numerantur, iidem novae *de Seminariis et de Studiorum Universitatibus* Congregationi ipso iure adscripti censeantur. His accedit Summi Pontificis in spiritualibus Generalis Vicarius, durante munere.

VI. Leges pro Seminariis tum dioecesanis tum regionalibus a Pio PP. X sa. me. latas et a Benedicto PP. xv approbatas, in omnes partes diligenter servari volunt et iubentur, ita ut in Seminariorum regimine, disciplina ac studiis nihil immutatum censeatur.

**Ex S. Poenitentiaria Apostolica.**

Facultates per Decreta d. xviii mens. Decembbris MCMXIV et d. xi Martii MCMXV concessae (1) in illis locis territorii bellici (vulgo *zona di guerra*) adhiberi possunt, in quibus difficile sit fidelibus pro sacramentali confessione peragenda recurrere ad sacerdotes adprobatos a locorum Ordinariis, simulque sacerdotibus ad exercitum pertinentibus eosdem Ordinarios adire ad adprobationem obtinendam pro eorundem fidelium confessione recipienda.

(Ex deer. d. iv mens. Decembr. MCMXV).

(1) Cfr. *Alma Roma*, an. II, fase. IV.

## FRANCISCVLI PRANDIUM (5)

FRANC. — Quid proloquar mendacium?.. Sed tamen...

HIPP. — Ecce de integro quod omnino prohibui. Potin ut desinas? Patiar ut satis superbe me illudas?

FRANC. — Da mihi hanc veniam, ignosce...

HIPP. — Ut aliud huius generis quam primum renoves?

FRANC. — (Quo pacto munuscula mea ei exhibeam?)

HIPP. — Mussitas? Depromas potius quae opus sunt; instat enim stomachum restaurandi hora, et ego non pauxilllam in ipso gesto famem.

FRANC. — In procinctu omnia. (*Exit, redditque paulo post cum iis quae in mensa deerant, omniaque apte disponit.*)

HIPP. (secum loquens) — Taedet me dicere severum eadem millies huic pueri, et citra voluntatem. Attamen si laxas ei darem habenas, sumptum pro me faceret ex omni sua parsimonia; quod quidem permittere et nolo et nequeo.

FRANC. — Et tu nunc, domine mi, quid mussitas tecum?

HIPP. — Quae male docet te mea facilitas multa.

FRANC. — Hoc bona pace teneas, quod ingenuos mei animi sensus cohibere frustra praesumpseris.

HIPP. — Bombax!.. Atqui persuasum habeo occentatores illos a te magna mercede fuisse conductos...

FRANC. — In mentem ex adverso inducas, illos amicos fuisse meos, qui libentissime milii accesserunt, quo te celebrarent. Quod si praescissem honorem quem tributurus eras mihi, ut ad mensam tuam ipsam me hodie vocares, cre-

das insuper futurum fuisse ut eorum numerus a me duplicaretur (*Ad mensam instruendam redit.*)

HIPP. — (Eripit hic puer mihi orationem in ore. Atque tamen oportet ut rigidam apud eum faciem ostendam. Gravitatem igitur sumamus) (*Ad mensam accedit.*) Eequid cochlearia pedunculis inauratis et cultri manubriis argenteis non video? Quadra una, non plures, cuique hie apparata est, quas permutare ad singulos missus oportet... Vas refrigeratorium, in quo oenophorum et canthari deponantur, frustra oculis perquiro, dum aestus hiulcat agros... De sale in pila contuso salinum usque ad oram impletum haud est, ut convenit... En occentationis effectus!..

FRANC. — Quaere argumenta si potes alia, herorum optime: haec enim Francisculo, qui tuam indolem apprime horit, compedes minime impingunt. (*Couquinam ingreditur.*)

HIPP. — (Nec is quidem lusciosus est, nec mea est simulatio. Cantus profecto est mihi mutandus, ni velim e certamine victus discedere).

FRANC. (rediens cum pullo Indico). — Hinc prorsus desumenda contra me argumenta! Vide ut perbelli adustus est!

HIPP. — Quantumque, inquam, redoleat!

FRANC. — Ah! ah! Et Vincentius ille qui nucleum sumpturus erat, milique pignori relinquebat putamina!..

(*Ad proximum numerum.*)

I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

## ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) *ante solendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ⚡ ⚡

## IN MEMORIAM GUIDI BACCELLI

GUIDUS BACCELLI, quem omnes nuper Itali cives atque advenae defunctum illacrymarunt, Romae natus est honestis parentibus, anno saeculi elapsi trigesimo secundo. Hic quantus fuit, totus Romanus fuit. Nec enim solum iure romanum fecerat Urbs, in qua natus est atque educatus, sed ipsa egregia corporis forma et antiqua illa animi magnitudo, ob quam populus olim gentium dominator in primis celebratur. Quis enim, talia fando, ad mentem non revocat nobilissimum Vergilii versum, qui Romanos aetatis sua graphicè depingit:

*Romanos rerum dominos gentemque togatam?*

Ipse, quum primum e pueris excessit, celeritate ingenii subito inter aequales excellens, omnium doctorum animos sibi facile devinxit. In Collegio Romano, ad quod illa tempestate complures iuvenes vel ab exteris nationibus, florescentes ingenio studiorumque desiderio, fama doctorum acciti atque multis magistriis, convenire consueverant, integrum litterarum curriculum atque graviorum artium magnis cum laudibus perfecit.

Quo nomine, vel a iuventute ad sum-

mum dignitatis honorisque pervenit; et illico, solerti ac penitiore naturae studio et litteris clarus, in Romano Athenaeo, omnibus doctoribus adclamantibus, medicinae doctor est proclamatus; atque haud ita multo post eamdem scientiam maximo cum decore tradidit. Namque singulari consilio atque industria magnam sui exspectationem, quam primum sibi concitaverat, citra invidiam sustinuit. Quin imo pluribus editis operibus, in quibus effigiem animi sui reliquit et summum suae disciplinae cultore facile se principem revelavit, in pleraque eruditorum collegia ultro atque certatim fuit cooptatus.

At in primis romanam veteranum elegantiam protinus ita manifestavit, ut omnes intelligentis iudicii viri egregiam styli magnitudinem quam in omnibus prae se ferre studebat, maxime admirarentur magnisque laudibus ad caelum efferent.

Quod enim Quintilianus de Aulo Cornelio Celso narrat, non solum ipsum de philosophia, de iure civili et eloquentia scripsisse, sed amplius rei militaris et rusticae etiam et medicinae